



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

Bucelin, Gabriel

[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.

Annus Iesu Christi. M.D.VII. sancti P. N. Benedicti. M.XXVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38498

*Joannes
Abbas Ep-
ternacensis
d. 91.*

Posuinus Epternacensis in Ducatu Lu-
xemburgenſi Canobij Archimandrita
vigilantiſſimus, qui quanto Clerum
plebemque in ſolida Numini dilectio-
ne & cultu magis inſepeſcere vidit,
& Religioſos quoque poriclitari ani-
madvertit, tanto ſerventius ſacræ Re-
formationi ſuorum inſtitit, ſuoque ex-
emplo, alios etiam Abbates & Mona-
ſteria excitavit, & è S. Maximini, Tre-
verenſi Archiſterio, quod præ alijs
ſemper excelluit, coloniam ſacram
introducens, de ſuo & vicinis Mona-
ſterijs æternum meruit. Superior
quoque Germania, præter alios viros
Ordinis illuſtres, Joannem eo nomine
primum Cremiphanenſem Abbatem
hoc tempore habuit, qui ob inſignem
eruditionem & intaminatiſſimæ Vita
integritatem, Maximiliano I. Impera-
tori Auguſto chariſſimus, plurimum
apud Eundem & ſuis prudentiſſimis
conſilijs, & ſumma authoritate potuit,
ab eodem Arbitr Secretorum animi
& à conſellionibus piacularibus exci-
tit, cui ſe maximis meritis commen-
davit.

ANNUS IESU CHRISTI. M. D. V. H.
ſancti P. N. Benedicci. M. XXVII.

*Zuſebius
Abbas Ca-
ſinas obiit.*

Immoritur præſenti anno feliciffi-
mis Reformationis ceoptis, Eufe-
bius Mutinenſis, primus Caſinenſis
poſt ſolidiorem Monaſterij Reforma-
tionem Abbas, Ejuſdemque nominis
Ampliſſimæ Congregationis Præſes
Generalis, vir meritiſſimus, & qui ad
id muneris, ut ex ſupra memoratis
conſtat, peculiarijs ab ipſomet ſan-
ctiſſimo Patriarcha noſtro S. BENE-
DICTO expetitus videtur. Succes-
ſit, haud impari æſtimatione Zacha-
rias S. Juſtinæ Patavini Canobij Af-
ceta, traditam ſibi à Patribus, Caſina-
tem præfecturam eodem anno feliciter
auſpicatus, egregiæ Virtutis opi-
nionem ac merito, apud Ferdinandum
Hiſpaniarum Regem, cognomento
Catholicum apprime commendatus.
*Marcus Ant. Scipio, Annal. S. Juſti-
ne &c.*

*Jacobus de
Amboiſe
Abbas Clu-
niac.*

In Gallijs magno cum Ordinis or-
namento effulget Jacobus d' Amboi-
ſe Cluniacenſis Archiſterij meritiſſi-
mus Abbas, familia Illuſtriſſima or-
tus, ex qua Principes plurimi Ducês-
que ſereniſſimi prodire. Is à tene-

ris annis ſanctiſſimo Patri noſtro Be-
nedicto in Archiſterio prædicto obla-
tus, Monachum profeſſus, ſub Joanne
Borbonto antecellore ſanctè educatus,
Studiorum poſtea gratia Pariſios, ad
Hoſpitiũ ſive Collegium ab eodem
Joanne conditum miſſus eſt. Ubi
Pontificio Juri operam ſedulo nava-
vit, magnòque in Studijs progreſſus
facit. Abbas poſtea de Jumièges crea-
tus, nec multo poſt S. Iudij prope Ur-
bem Claromontenſen lituum meritis,
poſtremo Cluniacenſis Antifteſ re-
nunciatus, tot tantorumque ſanctorum
meritiſſimus ſucceſſor, eiſdem per
omnia ſe conformare ſtudit, de Mo-
naſterio inſigniter meritis, donec Cla-
romontanus Epifcopus crearetur. De
quo alia inter, ita Franciſcus de Rivo
Prior Major Cluniacenſis: *Hujus Patris
noſtri Reverendiſſimi, inquit, quid fidem
vobis, quid facultatem, quid ingenium,
quid eximiam rerum omnium experiēti-
am commemorem? Quid liberalitatem?
quid animi magnitudinem, juſticiam, &
æquitatem, regularēque obſervantiam
dicam? que omnia tamen ex omnibus
ſingula a conſummatum ſufficere poſſe ho-
minem videntur. in eo enim ſimul, velut
facto agmine concurrunt, adeo, ut quid-
quid eorum, alibi reperiri poſſet, ea illius
prodijſſe pectoris armario credi poſſit &c.*
Claruit ſub hoc ipſo Abbate, Antonius
de Rupe ejuſdem Archi-Canobij Prior
Major, Decretorum Doctor, qui totus
Religioſus [verba Chronici ſunt] to-
tus erga Conventum laborioſus, fun-
dator extitit venerabilis Collegij S.
Hieronymi apud Dolam, quod à Fun-
damentis extraxit [ſunt enim Prio-
res illi, eodem quo Abates alij Jure
& poteſtate] ædificium miræ pulch-
ritudinis. Jacet in Capitulo juxta Ab-
batem Rolandum. Ita Nicolaus d'
Olerj, qui & ſequentia ſubjungit: Poſt
iſtum Antonium, fuit Prior Major
Philippus de Bourgojn, antea Prior
Clauſtralis, *MAGNÆ SANCTITA-
TIS VIR, qui multum rigide tenebat ſer-
vorem Ordinis. Jacet in Capitulo juxta
Abbatem Guillerimum. Ita citatus Au-
ctor, ut ad hæc uſque tempora nun-
quam deſuiſſe Archiſterio illi, viri San-
ctitate illuſtres videantur.*

*Antonius de
Rupe.*

*Philippus
de
Bourgojn.*

Moritur hoc ipſo anno, memora-
bile exemplar contempti [tam ambi-
tioſè à multis quaſiti] Abbatialis ho-
noris,

F



*Christo-
phorus Ab-
bas in Wei-
chen Ste-
phan.*

noris Christophorus quondam Abbas in Weichen-Stephan pulchertimi prope Frisingam Cœnobij, qui invitatus atque reluctans ob egregia & animi & corporis talenta electus, ultro & sponte post paucos annos Præfulatum resignavit solo amore litterarum, Bononiamque profectus Pontificijque Juris Doctor creatus, insignem sacrosanctæ Theologiæ Professorem egit, cumque præter raram eruditionem insigni polleret eloquentia, & potentissima perorandi facultate, in Carinthiam secedens in Cella Mariana, totum se laudibus Deiparæ celebrandis devovit, Cathedram illam, omnibus Insulorum omnium præ ferens, in quo summa omnium cum admiratione, ad confluentes peregrinos miro cum fructu verba fecit, hisce laboribus ibidem felicissime immortalis; cum non multo ante mortem ad Weichen-Stephanense suum revisisset, eademque [cui incorporatos etiamnum erat, nec tanquam emeritus Abbas celebrari voluerat] magnam pecuniæ summam pro condenda insigni Bibliotheca & exstruendo Deiparæ Sacello contulisset. Vita excessit eodemmet anno successor ejusdem, non immediatus, sed post Wolfgangum de Weix virum similiter immortalis memoria dignum, Antonius, de quo Abbatum Catalogus: *Vir mirè Religiosus, humilis, mansuetus, totus amabilis, disciplina zelator, pauperum & orphanorum Pater, alter S. Martinus &c.* Ut inde animadvertas, non unius solum & alterius perditissimo sæculo, quasi raritatis in gurgite, vasto eam fuisse mentis continentiam, sed alterum ab altero, quasi successionis jure, talia exempla sequutum fuisse summæ integritatis, & rarioris vitæ perfectionis.

*Wolfgangus
de Weix.*

In Brauweilerensi non minus Cœnobio, tantopere nunc viguit disciplinæ sanctioris observantia, ut inde exemplaria egregia expeterentur vitæ Regularis à Joanne de Weda Abbate, uti hoc anno ad S. Alexandri vulgo, in Grasschaffi Monasterium Abbas est postularus Albertus, quo cum destinati cooperatores sunt tam præclaræ functionis Collegæ Religiosi Patres Matthias de Passendorff, Joannes de Hammone, Conradus de Warbergh, Medardus ab Eufkirchen & Stepha-

*Joannes de
Weda.*

nus de Croiff, ob egregia vitæ exempla merito celebrandi.

ANNUS IESU CHRISTI M.D.VIII
Sancti Patris Benedicti M. XXVIII.

Grande omnino [nec minus Apostolico censendum merito, quo provinciæ totæ Regnaque amplissima Ordini Benedictino obstricta sunt] æstimari ab æquis rerum Censoribus debet, quo Ordo Magni Benedicti verè Augustus, tot deinceps alios sanctissimos & frequentissimos Ordines, primo in ortu suo promovit & fovit, ita ut nullus usquam post admirabilem Patrem & Patriarcham, Legislatorem nostrum confurgeret, quin seri tanti Patris posterum, instinctu procul dubio boni Numinis mereri de singulis quamprimum aggrederebantur; Quo quidem ipso, si nullo alio sanctissimus Pater noster Patriarcha Monachorum & Religiosorum omnium jure meritisimo appellaretur. Sic non tantum Cluniacenses, Cistercienses, Camaldulenses, Humiliatos, Celestinos, Montis Virginis Olivetanos aliosque propriè suos, suæ Regulæ professores, etsi ob multitudinem & frequentiam cuiusvis Reformationi nomen dantium, Ordinum nomine censos & honoratos, per seipsum plerosque, cœlo descendere visus, novasque has sui Ordinis amplissimi Familias, Congregationis & Reformationis ipsius informare ac juvare; sed alios quoscunque diversarum Regularum, sive per se, sive per suos, mira benignitate, liberalitate & charitate, suscipere, alere, protegere, promovere, atque exornare est comprobatus. Ita Carthusianorum perfectissimus Ordo, & ipse ejus Institutor lectissimus S. Bruno, primum à nostris susceptus est, & S. Hugonis nostri Gratianopolitani in Gallijs Episcopi ductu & munificentia fundamenta jecit, Carthusianos montes dono accepit, primamque, inde cognominatam Carthusiam condidit. Quamvis etiam hic ipse Ordo, etsi non omnino, ut illi, accensendus tamen etiam nostris sit, ut qui nostra etiam utatur Regula, suasque inde Constitutiones composuerit, teste Innocentio Papa in Diplomate Carthusiæ Casotulensi dato, & Petro Sutore Carthusiæ Priore in Annalibus, nec non hono-

*Proprium
S. P. N.
Benedicti
omnes alios
Ordines
demereri.*

*Recesen-
tur Ordines
aliqui.*

*Carthusia-
nos demer-
etur Ordo
noster.*